

ducito, quas divisas in partes 24. notis arithmeticis insig-
nito. Paullulum remotius, circiter duos pollices, à centro
paxillum facito, ut in litterâ P notatum vides, qui Baculo,
superne litterâ L. ad latus verò litterâ K signato inseratur,
cumq; cochleâ sistatur.

Præterea binas Regulas facito, singulas binos pedes lon-
gas, ita invicem junctas, ut pedes circini jungi solent, cum
cochlea illas trâseunte, quemadmodum in figurâ litterâ M
significatum vides, adeò ut per semicirculum etiam trans-
eat prope centrum A. unâ cum matriculâ, notatâ litterâ N.
firmandi semicirculi & Regularum ergò. Cochleæ deinde
superimponito apicem, ex chalybe factum, crastitiem acûs,
& longitudinem palmi referentem: estoq; hæc Dioptra in
centro A. A tergo utriusq; Regulæ facito duas cochleas mi-
nores, ne Regulæ hinc inde moveri queant, veluti ex Regulâ
F apparet. Hinc binis Regulis applicato binas Dioptras cum
binis itidem chalybeis apicibus, adeò ut illæ volvi hinc in-
de facile possint. Fabricam earum integrum separatim po-
sitam litteræ G & H in Figurâ indicant. Facito porrò & ter-
tiam Regulam, fermè tam longam, quam sunt duæ priores;
à cuius fronte minutum fiat foramen, per quod transeant
apices: veluti in Regulâ, litterâ I notatâ factum vides. Has
ternas Regulas æqualiter dividito, videlicet in partes vel
puncta 1000 singulas, pro magnitudine Instrumenti. Nam
siue plures sint partes, sive pauciores, nihil interest.

His peractis, & certis litteris notatis semicirculo, Regu-
lis atque Dioptris, ut in Figurâ ob oculos proponitur, Bacu-
lum parato, quatuor, ut dictum, pedes lôgum, inferne cum
ferro acuminato, dimidium circiter pedem longo, supernè
ferratum, & foramen habentem, ut ei inseri possit Instru-
menti paxillus sive cuneus, ibique cum cochlea sisti.

Perpendiculum præterea parato è plumbo & filo vel fu-
niculo: ad cuius extremitatem alteram esto circulus minu-
tus. Nam quando Regula perpendiculariter erigenda est,
tunc